



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Fridolinvs C. 6. Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

mus palam orcum fateri coegerit, nihil Numinis sibi inesse, fueruntque mali dæmones ludus CONONI. Certè pro imperio suo in illos, alios agris custodes addidit, alios testis clausos terrâ abdidit, & orbe terrarum vel mirante vel ridente, rudes inaedificavit pessimis fundamentis, Ex Menais.

Fides vivida & catholica est, quæ velut quoddam Eternitatis exemplar præterita simul & præsentia & futura sinu quodam vastissimo comprehendit; ut nihil ei prætereat, nihil pereat, nihil præbeat. S. Bern. serm. 6. de Vig. Nat. Christ.

S. FRIDOLINVS C. 6. Martii.

FEllices exiles, qui ut patriam quærant, exerunt patriâ! His FRIDOLINVM jure accessas. Hibernus domo ex primâ nobilitate, tunc gentilitia decora se aucturum credidit, si superstitionem expugnatum iret, patriamque fidem extra patriam proferret. Igitur fidei signa Rauracis alijsque Rheini accolis intulit, & rebelles nuper cælo animos longè plurimos debellavit. Sub hæc visum est rei Christianæ titandæ munitionem cœnobium exædificare. Id, quod hodie videmus, Sæckingense est, cui condendo Vrsus vir apprime nobilis patrimonium suum devovit. At invidia etiam hic cælo divitias suas invidit. Doluit frater Vrsi Landolphus in hereditatem paternam secum DEVN venire, & homo, fratre demortuo, ausus est DEO sua eripere. Magis FRIDOLINVS indoluit; &, quia testis è vivis nemo unus supperebat, ad mortuos provocavit. Audit in tumulo Vrsus, prodit & cum FRIDOLINO millia passuum V. Ranckurchiam (ibi enim forte jus Prætor dicebat) contendit, testis utique

utique omni exceptione major. Nempe minimè placere Landulpho judicio cum morte contendere; ultrò etiam suam portionem heredi Deo cedere, & assēm jam promittere, qui semissēm nuper negaverat. Quid ad ista vos, quibus hodie hereditate suā cælum excludere familiare jam est imò vos, quid? qui donatam à Majoribus vestris creptum iterum itis. Ad illos, ad mortuos inquam provocant sacra & sacri homines. Non surgunt, dicitis? at timete. Surgeat. Ex vitâ.

Considera quām multi nunc morientur, quibus si una hora ad pœnitentiam concederetur, qua tibi concessa est, quomodo per Altaria & quām festinanter tamdiu suspirarent, donec peccatorum veniam à Deo consequi mererentur. S. Bern. l. de Int. Dom. c. i.

S. C O L E T A V . 6. Martij.

CO L E T A in vivis jam ea spectacula meruit, quæ puris mentibus CHRISTVS olim promisit, ut quæ hunc & Cælites alios familiares quotidie in oculis habuit. Quare vaticiniis ac miraculis clara, & à D. Ioanne Apostolo, annulo CHRISTO despensa, ab hoc ipso tandem in cælos deduci visa est. Epulum Eucharisticum ingenti fame appetiit; & hinc, favore in paucis memorando, eundem convivatorem & cibum quandoque nata, CHRISTVM è CHRISTI manu accepit. Aspera quæque ferre ejus amore ita avebat, ut omnes Martyrum cruciatus Iubens volens persenserit, toties prope Martyr dicenda, quot Martyres cælum numerat. Sed ad id impulit nimirum Servator, qui ei tormenta, quæ exantlasset, quibusque membris, singula ipse omnia enarravit. Addo, quod